

bus maritimæ civitates spiritum & vitam ducunt, quiq;  
in prædonum fuerunt potestate, incredibili celeritate &  
felicitate hostibus extorsit! Consiliis siquidem facta, fa-  
ctis celeritatem adjunxit: nec juvat bene consultasse, nisi  
consilia exsequaris: neq; bene exsequaris, nisi in tempore  
& celeriter. Iulio Cæsari tribuitur illud: Veni, vidi, vici:  
verius nostro GUSTAVO. Sic nimirum incom-  
parabili huic Heroi quædam ad amplitudinem & glori-  
am & ad res magnas bene gerendas divinitus adjuncta  
fuit fortuna, ita ut non ex Suecia missus bellator, sed de  
cælo delapsus, & divino consilio ad hoc bellum confi-  
ciendum natus videretur, in cuius potestate omnis felici-  
tas posita esset.

Unde vero illum tantam celeritatem, & tam incre-  
dibilem cursum consecutum fuisse existimatis! Non e-  
nīm illum eximia quædam vis equorum, aut ars inaudi-  
ta belligerandi, aut venti aliqui novi tam celeriter in tam  
remota & dissita loca pertulerunt: sed hæ res, quæ cæteros  
remotari solent, non retardarunt: non avaricia ab institu-  
to cursu ad prædam aliquam revocavit: non libido ad  
voluptatem: non amænitas ad delectationem: non no-  
bilitas loci ad cognitionem, non deniq; labor ipse ad  
quietem, postremo ornamenta oppidorum in Germania,  
quæ cæteri tollenda esse arbitrantur, ea sibi ille ne vi-  
fenda quidem existimavit. Miretur sane Græcia, & lan-  
dibus in cælum efferat Epaminondam & Pelopidam,  
qui occuparunt arcem Cadmæam, & inde præsidium La-  
conicum